



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Io. Francisci Leonis Eporediensis I. V. D. Episcopi Thelesini Thesaurus Fori Ecclesiastici

Leoni, Giovanni Francesco

Coloniae Agrippinae, 1682

11 Praedicatores, qualiter in praedicando se gerere debent.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10316

fius parochi per se ipsum, vel alium idoneum verbum Dei prædicare, ut *cap. 2. de refor. sess. 5.* si per se ipsum non potest, debet per alium proprijs expensis supplere.

Si autem parochus sit pauper, qui ex redditibus, & emolumentis suæ ecclesiæ expensas necessarias prædicatori subministrandas sustinere non possit; tunc ipse non tenetur; quia impossibile nulla est obligatio. *l. impossibile. ff. d. reg. jur. sed tenetur populus, cui verbum Dei prædicatur, cum sit rationi consonum, quod prædicatores tali casu, ab ijs, quibus seminant spiritualia, temporalia metant. Paul. 1. Corint. c. 7. & c. cum ex officij, circa fin. de præscrip. Nisi adsit aliquod legatum, aut alij redditus huic pio muneri applicati, quia ijs casibus Episcopi non tenentur, cum in cathedrali solum teneantur ad præstandum stipendium prædicatori, ut fuit decretum à Pio V. ut in *decis. concl. super eo cap. 4. §. 10. Pius V. decrevit.**

§ Episcopus vero, qui legitime impeditus, officium prædicationis per se ipsum præstare non potest, per alium impensis ipsius Episcopi præstare debet, nisi ex consuetudine hoc onus ad alium spectaret, ut in *d. decis. sup. dicto cap. 4. factis sub. tit. Lanetanen.* & ad ipsum Episcopum solum prædicatorem deputare spectat in sua ecclesia, nec capitulum, seu communitates locorum hac in re aliquid possunt, ut *super eodem cap. 4. sub. tit. Burgen. Gadien. Legionen. fuit decisum.* An autem quotidie tempore Quadragesimali, vel jejuniorum, aut tribus diebus in hebdomata sit prædicandum, arbitrio Episcopi est declarandum. Et hodie Adventus tempus jejunijs proprie non dicitur, *decis. Conc. sup. eodem cap. 4. sub. tit. Mediolanen. qua incipit, arbi-*

trium. Ne autem dubitari contingeret, quomodo intelligenda essent verba Concilij in *prædicto cap. 4. post medium, ibi, nullus autem secularis, si sive regularis, etiam in ecclesijs suorum ordinum, contradicente Episcopo prædicare præsumat, sess. 24.* fuit per eandem sacram congregationem declaratum *super eodem cap. 4. & decisum, quod contradicente Episcopo nullus etiam regularis prædicet, nec teneri Episcopum causam exprimere, quare ad hoc prohibendum moveatur, ut in decis. super eodem cap. factis, sub. tit. Mediolanen. qua incipit. Contradicente Episcopo, & per dicta verba, Contradicente Episcopo, Ordinariis est concessum, ut etiam à regularibus, antequàm officium prædicandi assumant, professionem fidei exigant, ut in *eisdem decis. etiam sub titulo Mediolanen. incipien. per hæc verba.**

Nec regulares qui cujuscunque ordinis, nisi à suis superioribus de vita, moribus, & scientia examinati, & approbati fuerint, ut statuit Leo X. in constitut. de prædicatorum officio in *Bull. cap. 15. ac de eorum licentia, etiam in ecclesijs suorum ordinum prædicare possunt, cum qua licentia personaliter se coram Episcopis præsentare, & ab eis, antequàm prædicare incipiant, benedictionem petere tenentur, dicto cap. 2. vers. Regulares vero, de reformat. sess. 5. nec sufficit per Nuncium petere, quia personaliter petere debent, ut ibi expressis verbis, & gloss. in *Clement. dudum in ver. presentari, de sepul. s. Greg.* qui fervore charitatis accensus, prædicatores vehementer hortatur, & monet, ut dicturi ad populum prudentes, cautique accedant, ne dicendi impetu ranci, verborum erroribus, quasi iactulis, audientium corda configant, ne cum sapien-*

lapientes fortasse videri desiderant, decepti speratae virtutis compaginem insipienter discindunt; cum saepe verborum effectus amittatur, dum loquacitate importuna, vel incauta audientium corda levigantur, in nullo alio rudem i plebem majori damno, scandaloque afficiunt, quam cum vel tacenda praedicant, vel falsa, & inutilia docendo, eam in errorem inducunt, Leo. X. in d. const. 15. §. propterea Gregorius.

12 Si vero (quod absit) praedicator errores, & aut scandala disseminaverit in populum, etiam si in monasterio sui, vel alterius ordinis praedicet, Episcopus ei praedicationem interdiceret potest; & si haereses praedicaverit, contra eum juxta juris dispositionem, seu loci consuetudinem, etiam quoad regulares, seu alios exemptos, auctoritate apostolica, & tamquam Sedis Apostolicae delegatus, procedere debet, d. cap. 2. §. si vero, sess. 5.

13 Episcopi autem in pluribus habent regulares superioritatem, quia non solum, si haereses praedicant, sed etiam, si extra monasteria degentes delinquant, etiam ordinum privilegiorum praetextu tuti esse non possunt, quominus ab Ordinariis locorum, tanquam super hoc a Sede Apostolica delegatis, secundum canonicas sanctiones, visitari, puniri, & corrigi valeant. Conc. Trid. cap. 3. de ref. sess. 6. & intra claustra monasterij degentes, & extra ea ita notorie delinquentes, ut populo scandalo sint, Episcopo instante, a suo superiore intra tempus ab Episcopo praefigendum, severe sunt puniendi; ac de punitione Episcopus debet certiorari, alioquin superior proximus a majori suo superiore est officio privandus, & delinquens ab eod. Episcopo puniri potest, c. 14. de regul. & mon. sess. 25,

& facit textus in cap. ult. §. si vero Abbates, juncta glo. in ver. per Abbatem. de stat. mon. & ibi Abbas nu. 1.

Sed, quoniam experientia & compereunda est, interdum in dicti decreti executione nimis remisse procedi; cum enim Episcopus instat, aliquem regularem, eo, quo supra dictum est, modo delinquentem a suo superiore puniri, saepe fit, ut superior regularem delinquentem ad alia suorum ordinum loca extra Episcopi dioecesim ex industria impunitum transmittat, atque etiam ipse aliquando ad alias Provincias se conferat, nec ulterius super delinquentis excessibus inquirat, & de ejus punitione Episcopum certiore reddat, unde, nec regularis delinquens tunc ab Episcopo puniri potest, cum extra ipsius dioecesim existat, nec superior, qui delinquentem corrigere negligit, officio privatur, Clemens VIII. sua perpetuo valitura constitutione, omnibus, & singulis cujuscunque ordinis, & instituti regularium etiam mendicantium superioribus in virtute Sanctae obedientiae, ac privationis dignitatis, & officiorum per eos obtentorum eo ipso incurrendis poenis praecipit, & mandavit, ut juxta praedictum Sacri Concilij decretum procedant, & exequantur. Quod si superior in regularem delinquentem non animadverterit, quinimodo, si illum impunitum ad alia suorum ordinum loca extra Episcopi dioecesim transmiserit, decrevit, ut instante Episcopo, intra terminum ab Episcopo praefigendum, & sub eisdem privationis dignitatum, & officiorum obtentorum, ac inhabilitatis ad illa, & alia in posterum obtinenda, privationis activae, & passivae vocis, ad quas a nemine praeterquam a Romano Pontifice pro tempore existente, re-